

tem per æstuaria suis equitibus & militibus, urbe ac Patribus, ne tempus tereret, ad dexteram relictis, breviori itinere paulo post & ipse se contulit, duobus a magistratibus, qui res bellicas in Senatu procurant, Antonio Justiniano, Andrea Trivisano, quos Patres ad illum honoris causa miserant, eo perductus.

Quoniam vero literæ Roma venerant, Hieronymum Donatum legatum maximis iliacis doloribus ita jam confectum esse, ut spes prope nulla ejus vitæ sit relicta; Franciscum Foscarum, qui prætor Patavinis fuerat, Senatus ei sublegavit, qui celeriter, si Donatus mortem obierit, proficiscatur. Cum autem fœderis, de quo supra dictum est, in urbe recitandi dies advenisset: quem quidem diem propter imbres & non serenas tempestates eousque Patres distulerant: a Lauredano Duce & principibus civitatis, ac omni Senatu, divinis auditis in æde Marcia sermonibus, ea celebritas in foro est facta, is parietum ejus ornatus, is sacrorum collegiorum, is omnium ordinum, omnis ætatis conventus & perambulatio fuit, ea vis argenti atque auri fabrefacti & gemmatorum monumentorum per manus hominum atque ipsis in canistris & corbis circumducta: ut mirum sane fuerit in tam exhausta bellis & tributorum collationibus civitate, tantam honestorum & ornatissimorum hominum frequentiam, tantos thesauros, tantas opes extitisse. In ea celebritate ubi Lauredanus in forum venit, capita fœderis e saxo edictorum clara voce a præcone pronunciata, magnis populus acclamationibus exceperat.

*Fœdus Venetiis publicatur.*

Hostes Tauriso profecti cum ad Plavim flumen iter flexissent; ut commeatui, qui Corneliano erat mittendus, obviam fierent, ne a Venetis intercipi posset: eo demum a Joanne Gonzaga Francisci fratre, qui Corneliani ejus rei procurandæ causâ restiterat, in carris centum adducto, in fines Patavinorum reverterunt, ædificia, quæ adire poterant, Venetorum civium, quorum erat celebris neque parvus numerus, plerunque comburentes: & Medoaco flumine trajecto, Vicetiam prope hominibus vacuum,